



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,  
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,  
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,  
ex Eusebio Cæsariensi ...**

**Eusebius <Caesariensis>**

**Haer. Chr. Egen., 1571**

**VD16 E 4284**

42. De Beryllo Bostrenae Arabiæ vrbis Episcopo, quem Origenes refutauit,  
& ab errore reduxit, afferentem cum Cerintho, Ario, Samosateno, Serueto,  
& similibus hæreticis, Christum non extitisse ante ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)



Ritus erat quondam pius hic, consistere magni  
 In templo sceleris perfidia<sup>q</sup> reos:  
 Et veniam lapsus per multos poscere soles,  
 Ut pateat verus per pia corda dolor.  
 Atq; etiam Domini fieret cum cœna, iubebat  
 Aede sacra sceleris præsul abesse reos.  
 Pòst vbi constabat verè doluisse, redibant  
 Ad cœtus, nuper putrida membra, pios.  
 Sic pius & Cæsar Fabiani voce Philippus,  
 Inter stat scelerum fletq; doletq; reos.  
 Cæsaris hæc pietas magna est celebranda Philippi,  
 Cœtibus & meritò nunc repetenda pijs.

42. DE BERYLLO BOSTRENAE  
 Arabiae urbis Episcopo, quem Origenes  
 refutavit, & ab errore reduxit, asserentem  
 cum Cerintho, Ario, Samosateno, Serue-  
 to, & similibus hæreticis, Christum non  
 extitisse ante assumptam humanam na-  
 turam, neque propriam habere Deita-  
 tis substantiam, sed paternam in eo  
 Deitatem habitare, eiq; quasi  
 hospitem & amicum ad-  
 sistere, capi. 24.

Bostrenæ quondam Beryllus Episcopus urbis,  
 Clarus Arabs, magna vir pietate fuit.  
 Hic vbi multa pius veræ monumenta dedisset  
 Doctrina, lapsus dogmata falsa refert.



Hac inter docuit, Christum non antè fuisse,  
 Virgine quàm ex Maria carnea membra capit.  
 Nec propriam eternam per se Deitatis habere  
 Naturam, acceptam de Deitate patris.  
 Sed patris in Christo Deitas sit, vt hospes in aula,  
 Ex qua, cum visum est, mox rediturus abit.  
 Origenes cuius blasphemum dogma refutans,  
 Christi naturas asserit esse duas.  
 Diuinam assumpsit quæ humanam foedere miro,  
 Quo Deus est natus virgine verus homo.  
 His etiam dictis conuertit dogmatis ipsum  
 Autorem, rarum est quod pietatis opus.

43. DICTVM ORIGENIS DE  
 veritate doctrinæ Ecclesiæ.  
 Capite 15.

**V**eritas idcirco non partes suas omittere  
 debet, quia eas sibi præueniens falsitas  
 vendicet.

Dogmata quid sapiens tua præfers Ethnice falsa  
 Nostri, durarunt quòd magis illa diu?  
 " Vera suas retinent partes mendacia quamuis  
 " Præ veris, latè tempora longa vigent.  
 Sic ait Origenes contra Ethnica scripta verendus,  
 affirmans summi dogmata vera Dei.